





Pr. 55. Num. 10.

1699, 2

2

2. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
DIFFERENTIIS ULTIMA-  
RUM VOLUNTATUM  
ET CONVENTIONUM.

QUAM,  
SUB PRÆSIDIO DIVINO  
EX

AUTHORITATE ET CONSENSU,  
MAGNIFICI

CTORUM ORDINIS,

IN ILLUSTR

ACADEMIA LUDOVICIANA,  
PRO

LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES  
ET

PRIVILEGIA DOCTORALIA  
LEGITIME CAPESSENDI

SOLENNI ERVDITORVM VENTILATIONI  
SUBJICIET

Ad Diem 28. Septembr. M DC XCIX.

JOHANN. ANTONIUS HENRICUS  
FLENDER WEZFLARIENSIS.

GISSÆ HASSORVM

Excud. JOH. REINHARDUS VULPIUS, UNIV. TYPOG.



P. 289



DISERTATIO INAGURALIS  
DIFFERENTIIS ULTIMA  
RUM VOLLUNTATUM  
ET CONVENTIONUM  
SUA PRESSIO DIVINO  
AUTHORITATE ET CONSENSU  
CANTONUM  
ICTORUM ORDINIS  
ACADEMIA LUDOVICIANA  
P. R. O.  
LICENTIA  
SUA IN OTROQUE JURE HONORE  
SUA DOCTORALIA  
SUA CAESARIS  
SUA UNIVERSITATE  
AD HONOREM  
JOHANNI ANTONIO HENRICUS  
P. R. O.  
SUA UNIVERSITATE  
SUA CAESARIS  
SUA UNIVERSITATE

201  
2





PRÆFATIO.



*I* legislatores in l. 3. & 5. D. delegibus in his qua frequentius accidunt & præ reliquis utilitatem habent jura constitui velint, concessã mihi ab amplissimo Jure

Consultorum ordine, pro obtinendis in utroq; jure honoribus, disputandi venia, diu deliberare non debui, quam materiam potius præ aliis elaborarem, inter eas enim quæ magis frequentiores & utiliores essent materia ultimarum voluntatum & conventionum sese mihi statim offerebat, si enim utilitatem spectes per has vita humana commercium sustinetur per merita nobis facta remunerari futura demeri possumus, si frequentiam, cuncta judicia litigis tam ex conventionibus quã ultimis voluntatibus provenientes repleta sunt, quoad methodum à vulgari non recessi, plura brevitas studio omitto, interim Deum T. O. M. precor ut conatibus assistere dignetur.



*Differunt ultima voluntates à Conventionibus.*

THEESIS I.

§. I.

Nomine.



Ultima voluntas vox generalis est non solum testamentum sed & legata, codicillos, & donationes mortis causa sub se comprehendens; definiti potest, dispositio ejus quod post mortem nostram fieri volumus, ultima voluntas dicitur id quod à nobis intuitu mortis dispositum nec ante mortem revocatum est, *Speidel in spec. voce legat. Bill.* Voluntas enim hominis ambulatoria est usque ad extremum vitæ spiritum *l. 4. ff. de ad im. legat.*

§. II. Conventio strictè sumpta, si in nudis placiti finibus consistit, definitur; duorum pluriumve in idem placitum consensus *l. 1. §. 2. de pactis* & sic contractui opponitur, hic autem generaliter & latè sumo, quatenus tam pacta quam contractus sub se contineat, illam pro subjectâ materiâ definitio quod sit duorum vel plurium in idem consensus, quo alterum nobis obstringimus ad aliquid dandum præstandum vel faciendum *l. 19. de Verb. sign. l. 3. pr. ff. de obl. & act.*

THEESIS II.

Divisione.

§. I. Ultima voluntas alia solennis est, quæ per solenne testamentum, alia non solennis quæ omissis solennitatibus declaratur, ut sunt omnia testamenta privilegiata, v. g. militare, inter liberos, & codicilli.

§. II. Con-

§. II. Conventio quatenus etiam pactum dicitur, & contractui opponitur alia est expressa expresso consensu facta, alia tacita, quæ declaratur consensu à lege facto vel aliâ ex causâ præsumpto vel ficto *l. 2 ff. de pactis* alia est personalis *l. 7. §. 8. ff. de pactis* alia realis *l. 40. pr. & §. fin. ff. de pactis* alia obligatoria, alia non obligatoria &c. Quatenus vero idem quod contractus est, alia est quæ certum nomen habet, *d. l. 7. §. 1. & 2. ff. de pactis* alia quæ illo caret *d. l. 7. §. 2.* alia bonæ fidei alia stricti juris.

THESES III.

§. I. Causa efficiente remotâ ultimæ voluntates vix à Causa effici-  
ente remotâ. conventionibus differunt, ultimæ enim voluntates & contractus ferè omnes ratione originis sunt juris gentium, ratione melioris informationis autem juris Civilis, excipiuntur stipulatio *l. 1. ff. de locat.* literarum obligatio *pr. Inst. de lit. obl. & donatio propter nuptias nov. 119. c. 1.* qui merè juris civilis sunt, addunt alii emphyteusin occasione verborum in *§. 3. Inst. de locat. conduct. propriam statuit naturam*, sed malè, quoniam Imperator Zeno non constituit hunc contractum, diu enim jam ante ipsum extitit & apud alias quoque gentes fuit frequentatus *Alciat. 1. parerg. c. 37.*

§. II. Causâ efficiente proximâ quæ voluntas testan- Causa effici-  
ente proximâ tium & contrahentium est, ultimæ voluntates cum conventionibus in hoc conveniunt, quod utrimque potius mens quam verba inspicienda sint *Klokrelat. Cam. 12. n. 22.* differunt tamen primò, quod in conventionibus omnium contrahentium consensus adesse debeat, *Struv. exerc. 6. th. 33.* in ultimis verò voluntatibus unius nempè testantis voluntas sufficiat *Joh. Faber in §. impossibilis in fin. Inst. de hered. Inst.*

§. III. Secunda est, quod in ultimis voluntatibus voluntates testantium latius interpretentur quam in contractibus

bus *l. 12. ff. de Reg. Jur. c. cum dilecti 6. X. de donat.* ubi talis habetur regula; in contractibus plenam in testamentis plenior in beneficiis principum plenissimam interpretationem fieri debere; exemplum est in *l. 52. §. 4. ff. de legat. 3.* aliud in *l. 1. §. penult. ff. de periculo & commodorei vendita.* Ubi Ulpianus negat vino vendito vasa simul vendita censerī e contra in *l. 3. §. 1. ff. de rut. vino vel oleo legato vasa quoque deberi ex Celso refert.* Tertium exemplum est in *l. 6. ff. de legat.*

§. IV. Ex hoc sequitur tertia differentia, quam supeditat Daniel Mollerus *l. 5. semestrium differ. 35.* ubi dicit in ultimis voluntatibus concessio uno videri concessum & alterum sine quo primum esset in utile; exemplum extat in *Dissert. nuper à me habitâ de servitut. tacitè constitutâ sect. 1. per tot. ubi §. 4.* allegatur Cœpolla *tract. de servit. urban. præd. c. 38. num. 2.* qui dicit, si inter plures facta sit divisio „ domus vel alterius fundi, non videri actum ut unus habeat „ aditum per partem alterius sicut prius habebat nisi hoc inter „ eas specialiter sit conventum &c. pergit idem Cœpolla *d. l. num. seq.* si vendam tibi prædium meum ad quod iri non poterat nisi per aliud meum prædium non videri actum ut illud „ tibi debeat servitutem nisi expressè dictum sit, aliud dicit esse „ in legato, in dubio namque videri rem ita legatam ut legata- „ rius habeat jus eundi non secus ac ipsemet testator habuerit *Bart. in l. 47. ff. de damn. infecto* plura vid. in *dict. dissert.* Quartū exemplum est, quod in ultimis voluntatibus nomine filiorum quoque filiarum comprehendantur, hinc si scriptum sit: si hæres meus moriatur absque filiis, substituo Sejum, filiarum illum adhuc excludunt, DD communiter in *c. Raynaldus X. de testam.* secus est in contractibus, hinc si emphyteusis concedatur Titio & filiis, non intelliguntur filiarum, Jason in *l. qua de legato num. 14. ff. de leg. 1.*

THE



7

## THESIS IV.

Subiecto.

§. I. Ultimæ voluntates cum conventionibus in plurimis conveniunt, sed differunt etiam in multis & quidem primo filius familias testari non potest vid. *Wesenbec. n. 4. ff. de mort. caus. donat Nicol. Vigelius meth. juris controu. l. 4. c. 2. reg. 21. except. 25.* ne permissu quidem patris, testamenti enim factio est juris publici, cui per privatos derogari non potest, quod tamen ad mortis causa donationes non extenditur *Berlich. p. 3. concl. 1. num. 7. contrahere autem possunt l. 39 ff. de Obl. & act.*

§. II. E contra vero minor 25. annis habens curatorem non potest contrahere sine illo *l. 3 C. de integr. rest. l. 6. C. de Verb. obl. Ob stare videtur l. 101. ff. Verb. obl. quam tamen resolvit Brunn. ad Cod. in d. l. 3. C. de integr. restit. nisi tamen contractus juramento confirmarint tunc enim inviolabiliter custodiantur per *auth. sacramenta puberum si adv. vend* testari tamen legare & mortis causâ donare potest *l. 20. §. 1. ff. de liber. legat. l. 4. §. ff. qui testam. fac. poss.* etiam contra voluntatem curatoris *D. Lauterb. disp. de don. m. c. th. 19.**

§. III. Tertio differunt in eo quod surdus & mutus conjunctim & naturâ talis testari non possit *§. 3. Instit. quib. non est perm. testam. fac.* quod tamen à *D. Stryck in tract. de jure sensuum disp. 4. c. 3. n. 47.* ita limitatur, ut ad pias causas legare possit, modò de voluntate ejus verisimiliter constet, contrahere tamen & pacisci possunt secundum *l. 4. ff. §. 1. de pactis l. 48. l. 52. §. pen. ff. de Obl. & act.*

§. IV. Quarto differunt quod pater cum filio & contra contrahere non possint *§. 6. Inst. de inut. stip.* potest tamen illi in testamento relinquere & vicissim. Quintò advocatus non potest contrahere cum cliente de quotâ litis *l. 53. ff. de pactis nec ægrotus cum Medico pro salute l. 9. C. de process. Meyn-*  
hard

*hard l. 3. decis. tholos. 73.* nullibi tamen prohibentur legare vel mortis causa donare.

THESIS V.

Objecto:

§. I. Contractuum quidem omnium ut & ultimarum voluntatum in genere objectum sunt res prout cujuslibet speciei natura permittit, in pluribus tamen inter se differunt & quidem primo, quod in ultimis voluntatibus res aliena legari possit §. 4. *Inst. de leg.* ita ut heres cogatur eam redimere vel æstimationem præstare, pretium enim succedit in locum rei *l. 71. l. 4. §. ult. de leg.* Secus vero est in contractibus domini translativis ut in mutuo videre est in *l. 12. in fin. ff. de rebus cred.* in permutatione ex *l. 1. §. 3. de rer. permut.* Franck *ad ff. de rer. permut. n. 6.* & aliis omnibus exceptâ solâ emtione & venditione *l. 28. de contrah. emt. & vend. Bach. v. 1. D. 28. th. 4. lit. 2.*

§. II. Secundam differentiam ratione objecti addit Everhardus *in locis legalibus l. 36.* quod fidei commissa per ultimam voluntatem constituta alienari prohibita nihilominus alienari possint, si liberi ex bonis reliquis dotem accipere non possint *auth. res que C. com. de leg.* Secus est si bona prohibita sint alienari ex contractu inter vivos, Baldus in *l. 4. de jure dotium* hanc reddit rationem quia ultimæ voluntates latius interpretantur, non enim censetur testator de hoc casu speciali cogitasse, actus autem inter vivos nullam recipiunt interpretationem.

§. III. Tertia notabilis differentia est quod pactum viventium de mutuâ successione Germ. einer auf einen Anspruch künftiger Succession hinausfallender Contract. jure civili nullum sit *l. 61. de Verb. obl. l. 15 l. 19. C. de pactis* & ibi Brunn. valet tamen ultima voluntas qua duo se mutuo in vim testamenti reciproce instituunt Suarez, in *celebri repet. legis quoniam in prioribus C. de in officioso testam. limit. l. 5. n. 11.*

§. IV.

§. IV. Quarta ratione objecti differentia est, quod in conventionem res quæ extra commercium contrahentium illius nempe cui promittitur, est, deduci non possit *l. 34. ff. de verb. obl. 83. §. 7. de legat. 3. l. 11. de remilit. Secus est in legatis l. 40. ff. de legat. 1.*

§. V. Quintam addit Joh. Papt. Pontanus *tract. de alim. c. 16. in f.* ubi dicit, alimentis ex contractu provenienti- bus partium consensu renunciari posse Bart. & Bald. *in locis ab eo allegatis* secus in alimentis ex ultimâ voluntate provenien- tibus, ratio diversitatis est, quod alimenta ex contractu per vo- luntatem partium sint constituta ergo & per earum volunta- tem dissolvi possunt per Communem Reg. Jur. at alimenta ex ultima voluntate ab unâ unius testatoris voluntate dependent cui contraveniri non potest.

§. VI. Sextam tradit Baitelius *de ult. volunt. dec. 2. n. 171.* & Peregr. *de fidei com. art. 1. num. 12.* ubi dicit fidei com- missa pactis constitui non posse contrarium tamen statuentem Knipschild. *de fidei com. c. 6; n. 29.* ubi dicit dari fidei commissa conventionalia; per ultimas vero voluntates fidei commissa constitui posse nemo est qui negat & insuper quotidiana pro- bat experientia.

## T H E S I S VI.

§. I. Formâ quæ differentiam specificam facit, qua es- sentialiter alter modus ab altero seperatur, inter quas prima est Formâ. quod testamenta solennia 7. vel 5. testes requirant ad hoc spe- cialiter rogatos & ut testamentum fiat uno actu continuo, & si quidquam ex his sollemnitatibus omissum sit, tum testamen- tum sit ipso jure nullum nec naturalis inde oriatur obligatio Struv. *exercit. 32. th. 15.* contractus autem duobus testibus probari possunt *l. 22. ff. de testibus Jason. in l. 2. C. de bon. poss.*

B

rario

ratio diversitatis est hæc, quia requisita hæc in ultimis voluntatibus non tam probationis quam solennitatis gratiâ adhibentur, ubi autem solennitatis gratiâ aliquid adhibetur & illud deficiat totus actus vitiatur, in conventionibus autem testes probationis gratia adhibentur, ubi vero probationis gratiâ aliquid adhibetur, licet illud deficiat, actus tamen subsistit, modo per aliud probari possit.

§. II. Ex hoc altera oritur differentia nimirum foemina in testamentis testem esse non posse per legem 20. §. 6. ff. qui testam. fac. poss. Secus autem in conventionibus arg. d. l. §. eod. Carpz. p. 1. Const. 16. def. 51. n. 1.

§. III. Ad formam testamenti quoque pertinet ejusdem publicatio, hæc in conventionibus non requiritur, hinc in contractibus scriptura super iisdem confecta nemini nisi illis qui illam confici mandarunt edenda sit Felin. in c. 1. num. 14. X. de prob. scriptura verò super ultimâ voluntate confecta, omnibus illis quibus quocunque modo interest exhibenda est, ita ut etiam exheredatus copiam testamenti petere possit Felin. d. l. n. 15.

§. IV. Tertia ratione formæ differentia est, quod in testamentis actus testandi debeat esse continuus, id est, per alia negotia illuc non pertinentia non interruptus l. 21. §. f. ff. de testam. l. 21. C. eod. Secus est in conventionibus l. 1. §. 1. ff. de V. O. l. 137. pr. de V. O. junctâ l. 12. ff. de duobus reis.

## THESIS VII.

Effectu

§. I. Tralatitium est causas ultimarum voluntatum favorabiliores esse quam contractuum Tabor in Barbos. locupr. l. 18. c. 14. voce test. axiom. 22. hinc primo causæ ultimarum voluntatum paratam habent executionem l. f. C. de edict. D. Hadr. tollendo Mindanus de mand. c. 68. n. 1. per tot. ubi dicit: hoc quoque proce-

procedere licet testamentum dicatur inofficiosum, cum excep-  
 ptio quã de viribus testamenti ambigitur non impediatur posses-  
 sionem: modo testamentum vitio visibili careat nec legiti-  
 mus contradictor existat *d. l. f. & Mynsing. 51. obs. 60.* Secus  
 est in contractibus in quibus ordinario processu agendum est  
 Berlich *p. 1. conc. 80. n. 5.* nisi literis contractus clausula paratæ  
 contra morosum executionis sit adjecta. Item Berlich. *d. l.*  
 quod fieri posse & frequentius sub hãc formulã mit oder ohne  
 recht fieri solere testatur Colerus *de process. execut. p. 2. c. 2. n. 2.*  
 Stryk *de Caut. Contr. sect. 2. c. 1. §. 35.* Item in introd. *ad prax.*  
*forens. c. 3. §. 15.*

§. II. Secunda notabilis differentia ratione effectus  
 est. quod si conventionibus adjecta sit conditio resolutive ipsi  
 jus adeo in suspensio sit ut tantum spes sit debitum iri §. 4. *Inst.*  
*de verb. obl.* quæ tamen spes in conventionibus hoc efficit ut  
 quis creditor dicatur *l. 42. pr. de obl. & act.* atque ut res ipsius  
 bonis annumeretur *l. 73. §. 1. ff. ad l. falcid.* & hæc spes ad hæ-  
 redes transit *d. §. 4. Inst. de verb. obl.* in ultimis autem volun-  
 tatibus vires demum tempore existentis conditionis accipiunt  
*l. 5. §. 2. & l. 41 de condit. & demonstrat.* hinc antè illius exi-  
 stentiam legatarius creditor non dum dicitur, spesque debi-  
 tum iri cum illo moritur, de rationibus diversitatis disquirunt  
 DD. v. Joana Sande *ad l. 18. de R. 7. Franck ad §. 4. Inst. de verb.*  
*obl.* Panschman *p. 1. quest. 20.* Ludolph *diss. 14. §. 25.* cujus ra-  
 tio fortè satis apta est, quia in legatis non interveniat factum  
 personæ sive legatarii volentis sibi & heredibus prospicere,  
 cum legatum in favorem legatarii non ejus heredis relictum  
 censetur, quod secus est in conventionibus in quibus etiam  
 heredibus prospicitur: limitantur tamen dicta de ultimis vo-  
 luntatibus, nisi conditio adjecta sit impossibilis vel turpis *l. 5.*  
*§. 3. ff. quando dies legat. vel fidei com. ced.* Secundo nisi conditio  
 non expressis verbis sed legis dispositione vel ex naturâ rei le-



gatae fit addita *l. 99. ff. de condit. & demonstrat.* Tertio nisi verisimiliter constet testatorem transmissionem eius legati voluisse *l. 30. C. de fidei com.*

§. III. Ex hoc oritur tertia differentia quod conditio naturâ & jure impossibilis adjecta conventionibus eas vitiet *l. 1. §. 11. de obl. & act. §. 10. Inst. de inut. stip.* in ultimis autem voluntatibus pro non adjectis habentur *§. 10. Inst. de hered. inst. l. 3. ff. de condit. & demonstrat.*

§. IV. Quarta est quod faveatur magis creditoribus ex contractu, quam ex ultimis voluntatibus Salicet. in *l. qua de alimentis C. de transact.* ratio differentiae est, quod illi certent de damno vitando, hi verò de lucro captando.

§. V. Quintam addit jam laudatus Daniel Moller *l. 5. semestrium differ. 40.* qui dicit, si legata sub conditione negativâ v. gr. si capitolium non ascenderis, sint relicta, eveniret ut legatarius in diebus vitae suae legatum non perciperet, quod tamen est contra naturam legatorum, ne autem expectare teneatur, Cautionem praestat quam Mutianam vocant, scilicet nempe si contra conditionem fecerit, legatum cum fructibus restitutum, hæc cautio verò in conventionibus locum non habet *§. 4. Inst. de verb. obl.* ubi dicitur si quis ita stipuletur si in Capitolium non ascendero dare spondes? perinde est ac si stipulatus esset cum moreretur sibi dari.

§. VI. Sexta est quod jure Saxonico gerada in præjudicium cognatae per ultimam voluntatem alienari non possit Carpz. *Jurispr. for. p. 2. const. 14. def. 1.* potest tamen inter vivos dici. Carpz. *d. l. def. 4. n. 1.* ita de Jure Can. Clerici de redditibus suorum beneficiorum testari nequeunt, licet inter vivos, dum adhuc istorum bonorum Dominium habent, de illis pro suo lubitu disponere possint, post obitum enim illorum isti redditus ecclesiastici ipso jure ad ecclesiam devolvuntur Engelad *Jus Canon. lib. 3. tit. 26. de testam. & ult. volunt. n. 31.*

**§. VII.** Septima notabilis differentia est quod ultima voluntates vim legis habeant *Mev. p. 7. dec. 16. n. 2. Taber in Barbos. locupl. lib. 18. cap. 14. voce testamentum axiom. XIII.* ideo sicut contra legem facta sunt nulla, ita quoque quae sunt facta contra ultimam voluntatem nulla sunt *Frid. Mind. de mand. c. 68. Knipschild de fidei com. c. 6. num. 15.* Secus est in conventionibus & pactis, nisi sint à Caesare confirmata confirmatio enim Caesaris est instar legis *Knipschild de fidei com. fam. c. 11. num. 14. & 15.*

**§. VIII.** Octava differentia est quod in conventionibus de facto praestando obligetur quidem quis ad illud vel faciendum vel si id nolit interesse praestandum, *l. 68. l. 72. pr. de verb. obl. Coler. de process. execut. p. 1. c. 6. num. 78.* Secus est in ultimis voluntatibus, in quibus praecise factum praestari debet si legibus non repugnet per *Nov. 1. c. 1.* idque propter favorem ultimarum voluntatum.

### THESIS VII.

**§. I.** Alius est finis ultimarum voluntatum alius conventionum *Vinn. ad §. 3. & fin. Inst. de exhib. liberis num. 1.* Item *§. 15. Inst. de har. que ab intest. n. 1.* finem ultimarum voluntatum conservaciones familiarum statuit, ita ut patri & principi familias liberum sit, illum qui & familiam exire ab hereditate excludendi, ego finem ultimarum voluntatum statuo ut sancta & illibata sit morientium voluntas *l. 1. C. de SS. eccles.* nihil enim magis iustitiae convenit, quam ut cuique liberum de rebus suis disponendi maneat arbitrium, secundo ne morienti invito ab intestato haeres existat, tertio ut moriens homines spe hereditatis sibi devincere, aut beneficia iam accepta remunerare queat, finis vero conventionum, ad quem ratio naturalis ius gentium scilicet dictitans respicit, est communis

Fine.

hominum in societate civili necessitas ac utilitas §. 2. *Inst. de j. N. G. & C.* quoad necessitatem finis conventionum ultimus isque principalis qui primario à paciscentibus intenditur, est, ut res & officia invicem communicentur, & indigentiae humanae consulatur sine quo humana societas aliàs diu consistere haud potest, quoad utilitatem est lucrum honestum justum moderatum & cum charitate conjunctum l. 2. §. 1. *ff. de obl. & act.* quoniam æquum est ubi utilitas publica promovetur, pericula negotiationum in transportando & custodiendo obeuntur, labores exantlantur, operæ impenduntur, sumptus fiunt, ibi in istorum præmium lucrum aliquod collocetur & captetur *lib. ult. §. 3. C. de furt.* Adam Contz *polit. leg. 8. cap. 10.*

THE SIS IX.

Acquisitione.

§. I. Ex ultimis voluntatibus & conventionibus diversimodè acquiritur, & quidem primo ratione translationis domini, in legatarium enim statim post mortem testatoris sine facto hæredis dominium rei legatæ transit, cui non obstat quod dicatur hereditate non aditâ legatum extinguere quod non fieret si legatario Dominium jam esset quæsitum unde & ab adita hereditate acquiri dicitur l. 69. l. 86. §. 2. *de legat. 1.* Respondetur enim cum Fransk *exere. 7. num. 17.* Dominium fitione quâdam juris à morte testatoris, veritate à tempore agnitionis, effectu verò ab aditâ hereditate acquiri, hic enim autoritate juris acquisitio Domini legatorum ad tempus mortis retrahitur secus est in conventionibus, ibi enim emptor dominium non nisi per traditionem acquirit & præterea adhuc requiritur ut venditor pretium solverit vel alio quocunque modo creditori satis fecerit §. 4. *Inst. de Rer. Div. & acq. ipsor. Dom.* non enim absolute sed conditionatè tantum videtur tradidisse venditori si pretium

fine

munimon

3 B

tium



tium solverit, cum nemo suum jactare præsumatur. Ratio  
 diversitatis est quod aditio hereditatis dicatur habere multum  
 juris parum facti, fit namque solâ voluntatis declaratione, con-  
 tractus autem multum facti *l. 7. in fin. ff. de curat. fur.* parum  
 juris habere dicuntur, exemplum si cupis vid. in *Coepollâ in*  
*tract. de servit. rustic. c. 21.*

§. II. Secunda differentia est, quod in ultimis volun-  
 tatibus tam actiones activæ quam passivæ transeant ad hære-  
 dem non enim dicitur hæreditas nisi deducto prius hære alieno  
 & heres in universum jus defuncti succedit & una eademque  
 cum illo persona censetur. Planè aliud est si hereditas per  
 contractum ad aliquem deolvatur ibi enim tantum activæ  
 non passivæ ademptorem transeunt, Mantica *de tacit. & am-*  
*buis conv. l. 4. tit. 10. n. 22.* licet expresse id actum sit ut satis  
 faceret creditoribus, rationem differentia Lud. Gomez *in*  
*tract. de contr. tit. de empt. & vend. c. 2. num. 5.* hanc esse di-  
 cit, quod actiones activas possit heres in alium transferre pro  
 arbitrio sed actiones passivas quibus ipse aliis est obligatus invi-  
 tis creditoribus à se excutere non possit per *l. debitorum pactio-*  
*nibus C. de pactis* ubi dicitur debitorum pactioibus credito-  
 rum petitiones nec tolli posse nec mutari, sed tamen venditor  
 id quod creditoribus præstitit actione ex vendito repetit ab  
 emptore Mantica *d. l. n. 14.* aut etiam ab iis conventus con-  
 tra emptorem agit ut veniat & ipsum contra illos defendat *arg.*  
*l. 28. ff. de donat.*

§. III. Tertia differentia est, quod alienatio fidei com-  
 missorum per ultimam voluntatem constitutorum nulla sit,  
 nec Dominium eorum in emptorem transeat, sed venditoris  
 hæredes illa absque refusione pretii, cum alienatio nulliter fa-  
 cta sit, revocare & à quocunque detentore vindicare possint  
*l. 69. §. 1. ff. de leg. 2. l. f. §. si autem Comm. de legat. Hartm.*  
 pistor

pistor p. 2. qu. 13. num. 1. Modest. pistor v. 1. Cens. 53. & v. 2. cons. 20. num. 16. Gail. l. 2. obs. 137. num. 6. Rosenthal de feud. c. 9. concl. 83. num. 10. Schrad. de feud. p. 8. c. 8. num. 11. Peregrin. de fideicom. art. 40. num. 2. & 7. Aliud obtinet in fideicommissis pacto constitutis, ibi enim transfertur Dominium, sed contra alienantem actione personali agitur ad interesse DD. communiter in l. eâ lege C. de condict. ob causam.

§. IV. Quarta differentia est, quod in legatis conditionalibus ante existentiam conditionis nihil in legatarium transferatur, quod th. 7. differ. 2. satis explicatum est, hinc fideicommissum conditionale ab ascendente relictum non transmittitur per descendantem ad posteros suos ante purificatam conditionem Bald. in leg. si in personam C. de fideicommiss.

§. V. Quinta differentia est in l. 18. ff. de R. 7. ubi dicitur: Si filius familias sub conditione stipulatus emancipatus fuerit, deinde extiterit conditio, patri actio competit, quia in stipulationibus id tempus spectatur quo contrahimus id est, ut explicat Kunzel in R. 7. 19. commodum stipulationis à filio familias factæ indistincte patri acquiri etiamsi tempore purificatæ conditionis filius sit sui juris, aliud est in legatis ubi commodum legati tum demum ad patrem spectat quando transitorium est ad hæredes Gunzel in d. R. 7. 19.

## THESIS X.

Contrariis.

§. I. Quemadmodum ultimæ voluntates & conventiones diversis modis componuntur, & fiunt, ita & diversimodè dissolvuntur; & (1.) quidem ultimæ voluntates perfectæ, postea revocatione iterum dissolvuntur. Hominis enim voluntas ambulatoria est usque ad extremum vitæ spiritum. L. 4. ff. adim. legat. hoc ampliatur, ut etiam procedat, licet prius testa-

testamentum juramento confirmatum sit. *Berlich. dec. 92. num. 9. Jul. Clarus. §. testamentum quest. 94. num. Conwarr. in rubric. de testam p. 2. num. 9. Grassus in §. testam. quest. 57. num. 1. Fagin. lib. 4. C. 8. in fin. Durand. de arte testandi tit. 10. Cent. 2. num. 2. Harpr. ad §. secundum Instit. quibus modis testam. infirm. num. 6. & seqq. Heig. ibid. num. 5. & alii DD. comm.* Actus enim mutationi obnoxius solo jure jurando non fit immutabilis, secus est de jure Canon. ubi omne juramentum, quod sine detrimento animæ servari potest, servandum est: Exceptio tamen est in testamento personarum illustrium inter liberos omnium consensu facto *Besold. conf. 130. num. 19.* (1.) cum tale testamentum in vim contractus abeat, qui est irrevocabilis. (2.) Cum fidem semel datam fallere grave sit, quod in illustri persona comprimis obtinet, cujus promissio sanctè observari debet, & abominabile scandalosumq; dicitur, si is verbis suis contravenire velit. *l. inter claras C. de summâ trinit. Hieron. Giekar conf. de monet. march. n. 33. & octo seqq.* & fidem fallere gravibus grave, gravioribus gravius, gravissimis atq; exemplaribus viris longè gravissimum est, quia in se malum & extra se malum dat exemplum inquit *Rolando à valle vol 2. conf. 1. n. 35.* & dispositio patris cum liberis dicitur dispositio legalis hisce ferè verbis *Zasius l. 1. conf. 3. n. 20.* aliud verò obtinet in contractibus, hi ab initio sunt voluntatis ex post facto fiunt necessitatis *Klokrelat Cam. 7. num. 254.* ita ut etiam pacta dotalia quæ in modum contractus celebrata sunt ab unâ parte revocari non possint quod enim utriusque voluntate placuit, unius voluntate immutari nequit *l. 58. ff. de pactis Stryk de caut. contract. sect. 3. c. 8. §. 20. Carpz. p. 2. const. 43. def. 11.* Si verò in modum ultimæ voluntatis celebrata sint mutari possunt *Carpz. d. l. def. 10.*

§. II. Secunda differentia est, quod conventiones dolo initæ sint ipso jure nullæ *l. 37. ff. de dolo.* In ultimis autem

C

tem

tem voluntatibus non semper dolus negotium reddit nullum, in actione enim Paulianâ si per testamentum aliquid in fraudem creditorum dolose alienatur, postea tamen adsit unde creditoribus satisfieri possit alienatio licet dolo facta subsistit, secus est si per conventionem alienatum sit, Schneidewin *ad* §. 6. *Inst. de act.* ratio diversitatis est quia non dicitur hæreditas aut legatum nisi deducto ære alieno *l. 1. §. 15. qui ad fructum trebell.* in contractibus autem transfertur Dominium non habito respectu æris alieni.

§. III. Tertia differentia quod ultimæ voluntates metu factæ ipso jure reddantur nullæ Brunn. *ad* *l. 1. 2. C. si quis aliqu. testat. prohib. aut coeg. & cent. 1. dec. 85. idque per l. 20. §. fin. de testam. & d. l. C. Carpz. p. 3. c. 5. def. 9. & ib.* in ultimis enim voluntatibus, voluntas liberrima expressa & integra requiritur *l. 1. C. de summâ trinis.* Secus est in contractibus, qui metu facti non fiunt ipso jure nulli sed tantum rescinduntur *l. 7. §. f. C. de his qua vi metusque causâ* in his enim coacta voluntas etiam voluntas est vid. Tabor in *Barbos. locupl. axiom. 34.* insignem hæc differentia effectum habet, si enim testamentum metu conditum non esset ipso jure nullum hæredi in illo scripto hæreditas tanquam indigno auferretur & fisco addiceretur, cum autem sit ipso jure nullum hæredi as intestato acquiritur.

O. A. M. D. G.

COROL-



## COROLLARIA.

I.

**J**urisdictionem Augustissimi Imperialis judi-  
cii non delegatam sed ordinariam esse rectius  
cum Blumio & Rodingo statuitur.

II.

Jurisdictionem austregarum delegatam esse  
statuit Gailius Mayenhorst & Benderus, ordi-  
nariam Blumius, mixtam Uffenbach, hac quan-  
quam verior, verissima tamen est illam esse nec  
delegatam, nec ordinariam, nec mixtam, sed ter-  
tia cujusdam speciei ex jure naturali primo.

III.

Decimas novales non illi qui superioritatem  
territorialem, sed qui universale jus decimandi  
habet deberi instrumento pacis art. 5. §. reditus et-  
iam & decimæ confirmus est.

IV.

Pœna fractæ pacis si sit pecuniaria ad here-  
des transit.

V. Ap-

V.


*Appellatus appellationi ab appellante interposita adherere potest sine praestatione solennium nisi sententia plura habeat capita.*

VI.


*Pater à Citatione edictali contra filium decretà appellare non potest.*

VII.

*Quaritur an revisio revisionis sit licita, simpliciter id uegat Gail. distinguit Benderus si revidens denuò succumbat secundam revisionem petere non posse, si uerò reuisus succumbat, hunc secundo revisionem petere posse: quod placet.*










(X2617999)

1000





*Pr. 55. Num. 10.*

*1699, 2*

*2*

*D. B. V.*

PRO INAUGURALIS  
 DE  
 TIIS ULTIMA-  
 LUNTATUM  
 VENTIONUM.  
 QUAM,  
 SIDIO DIVINO  
 EX  
 ATE ET CONSENSU,  
 AGNIFICI  
 M ORDINIS,  
 ILLUSTR  
 LUDOVICIANA,  
 PRO  
 ENTIA  
 ROOVE FURE HONORES  
 ET  
 A DOCTORALIA  
 E CAPESSENDI  
 ORVM VENTILATIONI  
 SUBICIET  
 Septembr. M DC XCIX.  
 TONIUS HENRICUS  
 R W EZFLARIENSIS.

DE HASSORUM  
 OUS VULPIUS, UNIV. TYPOG

